

videtur magno CUIACIO, PAGAN. GAUDENTIO, aliis (r), qui trinam denunciationem a sciente tantum, non ab ignaro exigi contendunt, argumenta repetentes ex silentio Imperatorum Constantini & Valentiniani (s). Hos enim obiter tantum retulisse poenam, atque ideo, non quidem tanquam superuacaneum tacuisse denunciationis ritum verisimilis est doctissimi ARNALDI coniectura (t). Verior forte cui videri poterat GOTHOFREDI opinio, coniectantis per *d. L. 5 & 6* denunciationem ea tempestate non amplius expectatam fuisse, quamvis laudatus ARNALDVS noster hanc quoque sententiam reiiciendam putarit. Perfecta ita coram septem testibus ciuibus Romanis, nam & hoc requirebatur, certe posteriori tempore, quo actus legitimus euaderet (u), trina denunciatione, seu *admonitione legitima* (x), patronus rem, vt erat, ad Praefectum urbis, vel, si in prouincia agebatur, ad praesidem deferebat (y), a quo ipsi adiudicata, & vt ait Imperator (z), *ad natalium decoctionem* coacta, una cum capite omnia sua bona in eum transferebat (a). Sed sufficiat, haec breuiter re-

(r) Praeter eos, quos nominauit & SALINERIVM add. TACITI locum, quos excitat ARNALDVS, eidem sententiae fauere video P. FABRVM in notis adspertis CUIACII *Paratitlis ad L. un. C. de SCto Claud. toll.*

(s) in *L. 1 & 5. C. Tb. d. 1.*

(t) Idem tamen iam olim suboluerat SCHVITINGIO *ubi supra.*

(u) THEOPHIL. in *Paraphras. d. §. 1. I. de success. sublat. & interpres L. 2. C. Tb. d. 1.*

(x) Secundum *L. 10. C. Tb. de murileg. (X. 20.)*

(y) PAVLLVS quidem §. 17. meminit tantum Praefidis, sed excidisse verba: *Praefecti aut Praesidis*, non sine ratione suspicatur SCHVITINGIVS ad h. I. THEOPHILVS certe generaliter, *ἐμφαυεις*, inquit, *ἐποιουν τας παραγγελιας ἐπι τῷ ἀρχοντι*, quod paulo liberalius velle CUIACIVS: *proferebam denuntiationes meas apud Praetorem aut Praesidem.*

(z) *L. 3. C. Tb. ad SCto. Claud.*

(a) §. 1. *I. de success. sublat. ibique THEOPHIL. in Paraphras.*